



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institvtiones Morales

In Qvibus Vnivers[a]e Qvaestiones ad Conscientiam recte aut prauè
factorum pertinentes, breuiter tractantur

Azor, Juan

Coloniae Agrippinae, 1612

De Deposito.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14014

DE DEPOSITO.

STAT titulus *Depositum*, vel *contra*, qui est ordine tertius, Digestorum libro 16. & idem titulus est 33. & in Codice lib. 3. & in Iure Canonico libro 3. Decretalium est titulus 16. de *Deposito*.

Vnde dicatur, & quid sit Depositum.

CAPVT I.



VLPRIANVS Iuriscultus in *l. ff. Depositum*. [*Depositum*, inquit, est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo, quod ponitur. Præpositio enim (de) auget depositum, vt ostendat totum fidei eius commissum, quod ad custodiam rei pertinet.] Sic ille.

Deponere, apud veteres scriptores significabat idē quod rem abicere, & pro relicta, & desperata habere. Cicero *Att. 3. in Verrem*: [*Mihi videor, inquit, maximē agram, & propē depositam Republicæ partem suscepisse.*] Idem præterea erat, quod deorsum ponere, ac proinde dimittere, siue relinquere: sic enim quis dicitur onus, aut sarcinam deponere, vnde dicimus, Magistratum deponere, curam, sollicitudinem, & alia similia. Postea vero id verbum translatum est ad significandum idem, quod committere, siue credere rem alicui, vt in ea custodienda, & seruanda suam curam, & diligentiam ponat. Et hoc est, quod dixit Iuriscultus, præpositionem (de) augere, quia teneta cum aliquid apud aliquem deponitur, totum eius fidei, curæ, & diligentia committitur, vt id custodiat.

Definitur itaque *Depositum* esse id, nempe, quod alteri commendatur ad custodiendum. Quo fit, vt ad eum nec dominium, nec vsus rei transferatur. Ac proinde distinguitur depositum à cæteris contractibus, qui non nisi rei traditione perficiuntur: A mutuo videlicet, quia res mutuo data, fit accipientis: A commodato, quia ad certum vsum datur, nimirum, vt ex re commodata, is qui accipit, certum commodum, & vtilitatem accipiat: A precario, quia res alteri conceditur ad vtendum ea, donec placuerit danti: A pignore, quia etiam si pignoris vsus non datur, ac datur tamen pignus creditori causa idonea, & legitima cautionis ob debitum. *Depositum* autem non ad cauendum, sed ad custodiendum datur. Ex quo etiam efficitur, vt depositum sit gratia eius, qui rem deposuit, non eius, qui depositum recepit: cum tamen commodatum, & precarium sint ad vtilitatem eius, qui accipit. Hoc vero intelligitur de eo, quod plerumque fit: nam commodatum aliquando est gratia eius, qui dat, & depositum etiam interdum est gratia eius, qui rem depositam suscipit, vt colligitur ex *l. Si quis, & l. Rogasti, ff. de Rebus creditis*. Verbi gratia, Deposui apud te pecunias, vt si egeres, prædium, vel domum emereres; item, Deposui apud te vestem, vt si opus tibi esset, eam venderes.

Quot sint genera Depositum.

CAPVT II.

DEPOSITVM duplex esse dicitur, iudiciale, & priuatum. Iudiciale depositum est, cum res aliqua litigiosa committitur alteri, vt eam retineat, & custodiat, donec causa, & lite cognita, & dirempta, plane constet, cui debeat: de quo depositi genere in cap. *Examinata, de Iudicijs, & in l. Licet, ff. Depositum*.

Iudiciale itidem depositum est, quando debitor offert creditori pecuniam, quam debebat, & quia eam creditor recusat accipere, debitor ad vsuras euitandas, consignat eam, & deponit apud publicam aut factam ædem. *l. Acceptoram, C. de Vsuris*.

Priuatum depositum est, cum res apud priuatum aliquem, de cuius fide, & cura confidimus, deponitur, vt eam cura sua, & diligentia custodiat. Deponere etiam aliquid dicitur, qui de re aliqua certantes, penes arbitrum, hoc, aut illud deponunt, vt victori detur.

Potest etiam *Depositum* priuatum diuidi in duas partes. Aut enim est gratia eius, qui depositum suscipit, quod rarum est: aut gratia eius, qui depositum commendat, & hoc plerumque fit. Item depositum, aut est gratia custodiæ, aut litis, & controuersia, aut denique causa necessitatis, velati incendij, tumultus, hostilis incursum, ruina, naufragij, *l. Quod tumultus, ff. Depositum*.

Qui possint depositum committere, aut suscipere.

CAPVT III.

POSSUNT depositum deponere, quicumque rei alicuius administrationem habent, aut bona fidei possessionem: immo etiam filijfamilias, & serui deponere queunt rem patris, vel Domini; & tunc is qui depositum accipit, patri, aut Domino obligatur; quia res deposita patris, vel Domini est.

Quæres, An prædo rem alteri ereptam, & ablatam deponere queat? Respondet Iuriscultus Vlpianus in *l. 1. ff. Si prædo, ff. Depositum*: [*Si prædo, inquit, vel fur deposuerit, & hos Marcellus lib. 6. Digestorum depositum recte acturos: nam interest eorum, eo quod teneantur*] sic ille. Cuius legis ratio est, quia prædo, vel fur rem Domino restitueret, ipso iure compellitur: idem ius Ciuile ipsi actionem dat, non quia agar ob furtum, sed ob contractum, quem inuit cum eo, apud quem rem futuram deposuit: sua enim interest eam restituere, vt Domino reddat. *Glossa ibidem*.

Deponi potest res apud eum, quicumque sit ille, qui furit rationis compos, siue vt leges loqui consueuerunt, doli mali capax: nam rationis impotes contrahere nequeunt. Vnde infans actione depositi, nec ciuilitate, nec naturalitate tenetur.

Primo quaeritur, An apud pupillum possit aliquid deponi? Vlpianus in *l. 1. nuper allata, §. An in pupillum*, sic ait: [*An in pupillum, apud quem sine tutoris auctoritate depositum est, depositi actio datur? Queritur: sed probati oportet, si apud doli mali iam capacem deposuerit, agi posse, si dolum commiserit. Nam in quantum locupletior factus est, datur actio in eum, etsi dolum non intulerit.*] Et idem Iuriscultus in *§. Filiumfamilias*, dicit: [*Filiumfamilias teneri depositum constat, quia & cæteris actionibus tenetur: sed & cum patre eius agi potest, duntaxat de peculio:]* Si ergo apud pupillum res deposita est, & is rationis est compos, siue doli capax, actione depositi tenetur. Si factus est locupletior, hoc est, si res deposita apud ipsum adhuc extat, aut si dolum in re deposita commiserit: potest enim conueniri, vt rem ipsam restituat, vel id, quod interest eius, qui rem deposuit.

Sed

Sed quid dicendum de eo, qui apud seruum rem deposuit? Respondet idem Ulpianus in eadem lege supra memorata. §. Si apud seruum, hoc modo: [Si apud seruum deposuerit, & cum manumisso agam, Marcellus ait, non tenere actionem; quamvis solemus dicere, doli etiam in seruitute commissi teneri quem debere, quia & delicta, & noxa caput sequuntur. Eriguntur ad alias actiones competentes de eadem lege.] Vbi Bartolus Ulpianum Iurisconsultum sic interpretatur: In seruum manumissum non datur actio ex contractu in seruitute facta, sed ex delicto, quia delicta personam sequuntur. At contrarius videtur esse sibi ipse idem Ulpianus in eadem lege. §. Filiumfamilias, dum ait, in filiumfamilias dari actionem depositi, & postea subiungit: Idem & in seruum. Ergo concedit, posse agi cum seruo, sicut cum filiofamilias. Respondet, cum seruo manumisso non posse agi actione depositi, sed vindicatione rei, si apud ipsum depositum extet: posse tamen agi in seruum ex delicto in seruitute patrato, & hoc est, quod dixit Ulpianus in §. Si apud seruum. In §. vero Filiumfamilias, solum voluit dicere Ulpianus, cum filiofamilias, quando adhuc est in potestate patris, posse agi actione depositi, quia & ceteris actionibus tenetur. Sed & cum patre eius agi potest duntaxat de peculio: idem & in seruo: nam cum Domino agitur. Non igitur dicit Ulpianus, actionem depositi dari in seruum, sed in Dominum.

Quid si apud filiumfamilias res deposita sit, & emancipatus rem teneat? Respondet Paulus Iurisconsultus in l. Si apud filiumfamilias. ff. Depos. hunc in modum: [Si apud filiumfamilias res deposita sit, & emancipatus rem teneat, pater nec intra annum de peculio debet conueniri, sed ipse filius. Plus Trebatius existimat, etiam si apud seruum depositum sit, & manumissus rem teneat, in ipsum dandam actionem, non in Dominum, licet ex ceteris causis in manumissum actio non detur.] Quod responsum videtur contrarium ei, quod habetur in l. Pomponius in negotijs. ff. de Negotijs gestis. Et in l. i. §. Si apud. ff. Depos. Et l. i. c. An seruus ex suo facto. Respondeo cum Glossa in lege predicta: Si filiumfamilias, seruum manumissum conueniri vindicatione rei, non actione depositi, apud ipsum res deposita fuit, & eam manumissus teneat. Et hoc est, quod Paulus cum Trebatio Iurisconsulto dicit. Ceteræ vero leges negant in seruum libertate donatum dari actionem depositi, in seruitute ante contractu.

Secundo quaeritur, Quid dicendum, quando rem duo deposuerunt? Respondet Ulpianus in eadem lege. §. Sed si duo, hunc in modum: [Sed si duo deposuerint, & ambo agant, siquidem ita deposuerunt, ut vel vnus tollat totum, poterit in solidum agere: si vero pro parte, pro qua eorum interest, tunc dicendum est, in partem condemnationem faciendam.]

Quid si apud duos sit deposita res? Idem Ulpianus in §. Si apud duos, predicta in lege sic habet: [Si apud duos sit deposita res, aduersus vnumquemque eorum agi poterit: nec liberabitur alter, si cum altero agatur: non enim electione, sed solutione liberantur. Proinde si ambo dolo fecerint, & alter quod interest, praestiterit, alter non conuenietur, exemplo duorum tutorum. Quod si nihil alter, vel minus facere possit, ad alium peruenietur. Idemque et si alter dolo non fecerit, & idcirco sit absolutus, non ad alium peruenietur.]

Ita Ulpianus.

* * *

Quae res deponi queant.

CAPVT IV.

DEPONI queunt solum res mobiles, & se mouentes, ut sunt libri, gemmae, annuli, animalia, serui, ancillae. Glossa in cap. 2. de Deposito, in verbo Culpa ad finem. Quæres, an etiam possint deponi res, quæ in numero, pondere, vel mensura consistunt, & in suo genere functionem recipiunt, ut pecunia, frumentum, oleum? Respondeo, posse, siue ex res ad pondus, siue ad mensuram deponantur: ut colligitur ex l. Lucius, & l. Die sponsaliorum. §. Qui pecuniam. ff. Depositi. Quando vero hæc deposita, quando autem mutua res data censentur, postea explicabo: nam & in custodiam, & mutuum dari possunt.

Quot, & quæ ad depositi substantiam pertineant.

CAPVT V.

MULTA in depositi substantia continentur. In primis depositum non contrahitur, nisi res tradita sit, quia est contractus, cuius obligatio ipsa re perficitur. Insti. Quibus modis re contrahatur obligat. §. Item is. Secundo, Depositum requirit consensum tum deponentis, tum eius, qui depositum suscipit: quia nullus est contractus, qui contrahentium consensus non postulet. l. i. §. Adeo. ff. de Pactis. Tertio, ut res deposita detur alicui ad custodiendum. l. i. in principio. ff. Depositi. Quarto, ut eadem res deposita reddatur. l. Lucius, & l. i. ff. Depositi. Et Insti. Quibus modis re contrahatur. §. præterea, obligatio. Quinto, ut depositum gratis quis suscipiat, est enim gratuitum, non mercenarium officium. l. i. §. Si vestimenta. ff. Depositi.

Aliquando verò statuta municipalia, vel leges principum in Deposito requirunt literas, & tres testes, alioqui in iudicio actio depositi non datur. Ex his perspicere facile potest, quæ sint accidentia, & aduentitia in deposito.

Quenam obligationes ex deposito proficiantur.

CAPVT VI.

PRIMUM is, qui depositum suscipit, custodire, & seruare debet ea fide, cura, & diligentia, qua solet proprias res custodire, & seruare. cap. Bona fides, de Deposito. Et l. Quod Nerua. ff. Depositi. Et l. Si ut certo. ff. Quod vero senectute. ff. Commodati.

Secundo debet absque mora, reposcenti depositum, illud reddere. cap. Bona fides iam citata, & l. i. §. Est autem. Et §. penult. ff. Depositi.

Tertio cogitur rem depositam restituere talem, qualem recepit, hoc est, non fractam, diminutam, detritam, corruptamque, denique non factam modo aliquo deteriorem. l. Sed mihi videtur. §. Si reddita. ff. Commodati, & l. i. §. Si res deposita. ff. Depositi.

Quarto non potest uti re deposita citra consensum expressum, vel tacitum eius, qui deposuit: alioqui si utatur, furti reus habetur. l. Si sacculum. ff. Depositi. Et l. Qui furtum. ff. de condit. furtiua, & Insti. de Obligat. qua ex del. nasc. §. Furtum autem fit.

Quinto debet restituere quicquid damni dolo, vel culpa sua res deposita passa fuerit.

De Pactis, quæ in Deposito possunt, aut solent intervenire.

CAVTV VII.

PRI MVM quæritur, Ex qua culpa teneatur is, qui depositum suscepit? Respondeo, eum teneatur ex dolo, & lata culpa in Deposito, quod (ut plerumque fit) est gratia illius, qui rem deponit. *l. i. ff. de Act. & oblig. & l. i. C. Depositi.* Idque ratione naturali consentaneum est, quia est gratuitum officium. Obijcietur id, quod habetur *in l. Si ut certo. §. Nunc videndum est. ff. Commodati.* ubi statuitur, in deposito dolum esse præstandum. Idem traditur, *in l. i. §. Quoniam autem delicti. & l. sine dolo malo. ff. Depositi. & in l. Contractus. ff. de Reg. iur. & Inst. Quibus mo. re contrab. obligat. §. Præerea:* quibus in locis solum fit mentio de dolo, non de culpa. Respondeo, aperte constitutum esse *in l. i. ff. de Action. & oblig.* in deposito dolum, & latam culpam præstari debere. Idem habetur *in l. i. C. Depositi.* Nec contrarium teget supra citata continere, dicentes, in deposito dolum esse præstandum: quia in iure Civili lata culpa appellatione doli comprehenditur, & dolo æquiparatur. *l. Quod Nerita. ff. de positi. & l. Adversus. ff. Si mensor falsum motum dixerit.* Ergo leges, quæ dicunt dolum esse præstandum, nihil aliud significant, nisi in deposito non teneri aliquem ex leuissima, vel leui culpa.

Secundo quæritur, An aliquando, qui depositum recipit, ex leui etiam culpa obligetur? Respondeo, eum obligari tribus in casibus. Primum quando mercedem ob custodiam depositi accipit: tunc enim est contractus ad vniuersum commodum. *cap. Bona fides, de Deposito: & l. i. §. V. §. Item. & §. Si quis seruum. ff. Depositi.*

Secundo, quando pactum est, ut ex leui etiam culpa teneretur, *cap. Bona fides, proximè allato, & l. i. §. Sapè. ff. Depositi:* nam contractus ex conventionione legem accipiunt. *cap. Contractus, de Reg. iur. in 6. & l. i. §. Si conveniat. ff. Depositi.*

Tertio, quando is, qui depositum suscepit, seipsum obtulit. *cap. Bona fides, de Deposito, & l. i. §. Sapè. ff. Depositi, & Glossa ibidem;* & ratio id naturalis euenit, quia ipse vltro suam fidem, curam, & diligentiam ad custodiendam rem depositam obtulit, qui nisi obtulisset se, is qui deposuit, alium perquisisset.

Tertio quæritur, An aliquando ex culpa leuissima teneatur, qui depositum suscepit? Respondeo, tribus in casibus teneri. Primo, quando mora in restituendo deposito culpam præcessit. *Glossa in l. i. ff. Depositi, & Glossa in cap. Bona fides, de Deposito.* Secundo, quando dolum in custodiendo deposito commisit, & sequuta est deinde culpa leuissima. *Glossa in cap. Bona fides, paulo ante nominata, & l. i. §. Sapè. ff. Depositi.* Tertio, quando actum est, ut ex leuissima culpa teneretur. *cap. Bona fides, de Deposito, & l. i. §. Sapè. ff. Depositi, & Glossa in utroque loco.*

Quarto quæritur, An aliquando ob casum fortuitum teneatur? Respondeo, ex depositi quidem natura minimè teneri, ex accidenti tamen in quadruplici euenit. Primo, si ab initio pactum fuit, ut ex casu fortuito teneretur. Secundo, si mora casum præcessit. Tertio, si dolum casus est consequutus. Quarto, si lata culpa casum antecessit. *Glossa in cap. Bona fides, de Deposito, & Glossa in l. i. §. Sapè. ff. Depositi.*

Quinto quæritur, An valeat pactum, ut ex dolo non teneatur, qui depositum suscepit? Respondeo, minimè quia est contra bonam fidem, & bonos mores. *l. i. §. Illud non est probandum. ff. Depositi. l. Contractus. ff. de Reg. iur. & l. Si vnus. §. illud. ff. de Pactis.*

Sexto quæritur, An mutet naturam depositi pactum, ut post obitum eius, qui depositum commisit, vel, ut post certum aliquod tempus constitutum reddatur depositum?

Cautam dubitandi affert, quia is qui rem deposuit, potest, quando voluerit, eam repetere, ergo videtur cum depositi natura pugnare, ut post certum aliquod tempus restitatur. Respondeo, pactum esse præter, non contra naturam depositi: *ut colligitur ex l. i. §. Si deposuerit apud se. ff. Depositi.* Quo in loco redditur etiam ratio: quia nihil obstante huiusmodi pacto, potest, qui rem deposuit, voluntate mutata, eam repetere ante tempus constitutum. Idem iuris est, si apud te deposuerit, ut post mortem meam reddatur. *l. i. §. iam allegatis.*

Septimo quæritur, An mutet substantiam depositi libera facultas data ad vtendum deposito pecuniario, siue alia re qualibet deposita, quæ in pondere, vel mensura consistit. Verbi gratia, Depono apud te pecunias, & concedo, ut vtas. Quæritur, an eo ipso depositum transeat in mutuum? Dux fuerunt inter veteres Iuriconsullos, & sunt modo inter Iuniores, sententiae: vna asserentium depositum in mutuum transire, etiam ante vsum eius. Ita sentierunt olim Nerus, Proculus, & Marcellus, insuper Iurispudentiae consulti. *l. Certi conditio. §. Depositi. ff. de Rebus creditis.* Vlpianus *in l. Quod si ab initio. ff. eodem titulo:* nec aliter Romanus, Francus, Ripa sentere, quos citat, & sequitur Nanarrus *in Manuali cap. 17. num. 130,* quorum ratio hæc est: quia is, qui depositum suscepit, habet tunc rei depositæ dominium, & proprietatem, possessionem, & vsum. Deinde, quia suo periculo suscipit datam pecuniam. Præterea, quia tunc de fortuito casu tenetur. Non debet itidem restituere rem eandem in substantia, & specie: factus est enim si restituat aliam eiusdem generis, & functionis. Atqui omnia hæc ad mutuum pertinent, & cum deposito pugnant.

Altera sententia negat naturam depositi mutari, sed liberam talem facultatem datam ei, qui depositum suscepit, ut eo vtatur, excedere terminos notissimos, & modos depositi. *Id probant ex l. Si saeculum, & ex l. Die sponsaliorum. §. Qui pecuniam. ff. Depositi.* Deinde *in l. Lucius Titius, & in l. Publica. §. i. ad finem. ff. Depositi* solum habetur, talem facultatem excedere & deponit terminos, & modos, ergo ea facultas est præter, non contra naturam depositi. Accedit, quod is, qui deposuit, potest à voluntate recedere, datam facultatem reuocare, & rem depositam repetere. Verum, qui mutuum dat, nequit ante tempus, & ante vsum rei repetere. Quare videtur in eiusmodi deposito repetiri id, quod est depositi proprium: ut, videlicet, qui deposuit, possit repetere quodcumque voluerit, & nihilominus aliquid, quod est proprium mutui, in eo continetur, nimirum, ut possit, qui depositum suscepit, illo vti. Et cum pecunia deposita vltro ipso consumatur, & pereat, videtur transire in dominium eius, qui eam suscepit, *ut colligitur ex l. In nauem. ff. Locati.*

Octauo quæritur, An qui depositum recipit, possit vti eo, etiam quando nulla est ei expresse data facultas vtendi? Respondeo in tribus casibus posse. Primo quando deposita est pecunia numerata, & non obsignata, nec in sacculo inclusa, nec is, qui deposuit, ei interdixit vsum. *l. Si saeculum. ff. Depositi.* Secundo, quando res deposita, est ex numero eorum rerum, quæ in pondere, vel mensura consistunt, quæque in eodem genere functionem recipiunt: nec qui deposuit, vsum prohibet. *l. In nauem. ff. Locati.* Tertio, quando is, qui depositum suscepit, credit bona fide, Dominium rei tantum habiturum vsum eius, aut quando depositum est gratia eius, qui illud suscepit. Exemplum fit: Deposuit quis veltum apud me, quæ nisi aliquando ea vtatur, ea abiret, quod mali ne eueniat, possum ea in vsum adhibere. Pari ratione, deposuisti apud me libros, quibus nisi vsum fiero, haud dubie illi obisti puluere, lædentur, & aliquid detrimentum accipient. Ita etiam vtor equo deposito, ne in stabulo diu detentus langueat. Alioqui actio futuri datur in eum, qui re deposita vtatur, inuito Domino.

Nono quæritur, An aliquando rei depositæ dominium transeat ad eum, qui depositum suscepit? Respondeo, *in l. Licet. vers. Rei Deposita. ff. Depositi.* aperte constitutum, ut de-

posita proprietatem apud deponentem manere, sed & possessionem: ergo, si is, qui rem deposuit, retinet proprietatem, retinet quoque dominium cum dominum penes eum sit, penes quem est proprietatem. Dices, Quid ergo in lege dicitur: Penes deponentem possessionem etiam manere, si quidem is, qui depositum etiam suscepit, id tenet? Respondet, in iure Civili non dici, possidere rem, videlicet civiliter, eum, qui non suo, sed alterius nomine rem tenet, ut colonus, inquilinus, fructuarius; et etiam, cuius nomine alius rem detinet, dicitur per illum possidere. Is igitur similiter rem possidet, qui lapsu temporis legitimo potest uti uti, & suam facere. Quare, qui depositum rem, eam civiliter detinet, quamvis is qui depositum suscepit, naturaliter tenet. Aliquando tamen rei deposita dominium transierit ad eum, qui suscepit, ut constat ex l. In nave. ff. Locati. vbi Respondit, vbi sic habetur: [Rem locatam duo genera esse, ut aut idem redderetur, sicuti cum vestimenta iulioni curanda locarentur: aut eiusdem generis, veluti cum argentum ponderatum fabro daretur, ut vasa fierent, aut aurum, aut annuli, ex superiori casu rem Domini manere, ex posteriori, in creditum ire. Idem ius esse in deposito: nam si quis pecuniam numeratam ita deposuisset, ut neque clausam, neque obfignatam traderet, sed adnumeratam, nihil aliud eum debere, apud quem deposita esset, nisi tantumdem pecuniam solvere.] Ita lex. Unde quando eunque res deposita consistunt in numero, pondere, vel mensura, cuiusmodi sunt pecunia, frumentum, vel vinum, & traduntur numeratae, vel obfignatae, vel clausae in aliquo sacculo, vel vaseculo, necis qui deponit, prohibet usum, transit dominium ad eum, qui accipit, & is eas res suo periculo suscipit, & solum debet tantumdem eiusdem generis reddere. Quando vero numeratae traduntur, aut quando qui deponit, interdicit usum ei, qui suscipit, etiam si tradat eas res obfignatas, vel clausas, dominium manet penes deponentem.

Vndecimo quaeritur, An quando qui suscipit depositum, mercede rem depositam custodit, depositum migret, & transeat in alium contractum? Respondet, transire in contractum locati, & conducti, ut patet ex l. Si vestimenta, & §. Si quis servum. ff. Depos. quod quidem ratio naturalis ostendit, & docet: quia custos rei deposita locat diligentiam, & operam suam eo ipso, quod mercedem accipit. Nihilominus Bart. consil. 71. vol. 44 sentit non mutari naturam depositi, & probat ex cap. Bona fides, de Deposito: & ratione, quia qui deponit rem, potest quando voluerit eam repetere, mercede tamen custodi soluta. Deinde rei locatae usus ad conductorem transit: sed in tali deposito rei usus minime transfertur ad custodem. Attamen dicitur non potest, quia in huiusmodi deposito sit contractus locati, & conducti: nam in l. 1. §. Si vestimenta, & §. Si quis servum. ff. Depos. habetur: [Si quis depositum mercede ob custodiam suscipit, agi aduersus eum ex conducto, non ex deposito.] Depositum itidem natura sua est gratuitum, non mercenarium officium.

Ad ea vero, quae obijciebantur, Respondet, ad primum quidem in cap. Bona fides, solum dici, eum, cui depositum commendatur, ex culpa etiam leui obligari, quando ob custodiam depositi, mercedem recipit: sed ibi depositum nomine tantum, non re ipsa appellatur. Ad secundum: Probatur solum eo argumento, in locato, & conducto aliquando contineri pactum expressum, vel implicatum, ut qui rem tradit custodiendam, possit eam reponere quando voluerit, quia non locat rem, sed conducit personam custodis ad rem custodiendam. Atque hinc etiam est, ut quando res alicui datur custodienda, non concedatur ei usus, sed custodia; nihilominus tamen custos suam personam, non rem, locat certa mercede: & qui rem tradit, conducit custodem, non rem.

Quando, & quomodo depositum finiatur, & reddatur.

CAPVT VIII.

PRIMO quaeritur, An quae comitantur, vel consequuntur rem depositam, vel sunt eam ea coniuncta, deposita censentur: ut si depono apud te seruum meum, an etiam vestis serui deposita intelligatur. Respondet, in l. 1. §. Qua deposita ff. Depos. sic habet: [Quae deposita rebus accedunt, non sunt deposita.] Nihilominus Accursius ibi in Glossa contra legem dicit esse deposita, & dari actionem depositi contra eum, qui suscipit. Falsus est hic Auctor ex alia lege simili: nam in l. Si ut certo. §. usque ff. Commodati, traditur: Si tibi commodauit equam, quam pullus comitabatur, etiam pullus intelligitur commodatus, ergo, quae comitantur, inquit, rem depositam, intelliguntur deposita. Sed eere id iuris non est in deposito, quod in commodato: hoc enim est gratia eius, cui res commodatur, ac proinde, quod rem commodatam comitatur, pro commodato habetur, quia res est utilis, una cum eo, quod ipsam comitatur: at depositum est causa eius, qui deponit, & propterea quae depositum consequuntur, vel comitantur, deposita non censentur. Quare ea, dum extant apud eum, cui res deposita committitur, repetuntur proprie rei vendicatione, non actione depositi.

Secundo quaeritur, cuiusnam impensis, & quo in loco sit depositum reddendum. Respondet, in l. Si in Asia. ff. Depositi. ita decernit: [Si in Asia depositum fuerit, ut non reddatur, videtur id actum, ut non impensis eius id fiat, apud quem depositum, sed eius qui deposuit.] Et §. sequenti subiungitur: [Depositum eo loco restitui debet, in quo sine dolo malo eius est, apud quem depositum est: vbi vero depositum est, nihil interest.] Ita lex. Exempli gratia: Titius vestem depositam a Caio suscepit in Asia, & deinde Romam venit, quo etiam vestem importauit, ut custodiret solum debet reddere Romae vestem, vbi eam tenet. Quod si in Asia eam restitueret cogitur, in Asiam referre debet, non suis, sed Titii impensis. Et utrumque ostenditur ratione naturalis: quia res deposita, fidei alicuius committitur custodienda, ergo ad fidelem depositi custodiam pertinet, ut qui suscepit, si domicilium muret, rem depositam secum deportet. Et hinc etiam fit, ut damnum sustinere non debeat, si eam restitueret compellitur in loco, unde migravit.

Tertio quaeritur, An in Deposito locum habere queat compensatio? Quaestio talis est: An qui depositum suscepit, illum possit sibi retinere, donec illi satisfiat, & soluat debitum, quod illi alicui deponens debebat? Verbi gratia, debebas mihi decem, deposuisti apud me equum. Quaero iam, an possim retinere equum depositum, donec soluas mihi decem? Respondet, iure communi, Canonico, & Civili compensationem in deposito minimè locum habere. Id patet ex l. Si quis vel pecunias. C. Depositi, & l. vltima. C. de Compensationibus, & Institut. de Action. §. In bona fidei, & in cap. Bona fides, de Deposito: in quibus locis dicitur esse proprium depositi, ut retineri nequeat loco compensationis, vel deductionis. Compensationem ius vocat, cum aliquid in totum retinetur pro debito: deductionem vero, cum pars retinetur.

Sed cur in deposito solum, non etiam in alijs contractibus fidem seruare necesse est, ne contractus, qui ex bona fide profectus est, ad perditionem trahatur. Respondet, in cap. Bona fides, de Deposito, & in l. Si quis. C. Depositi, rationem reddi: Ne contractus, videlicet depositi, qui ex bona fide oritur, ad perditionem trahatur. Hoc idem dicitur, quia is, qui rem apud aliquem deponit, fidei eius committit, & tradit, ut, videlicet eam, cura sua, & diligentia custodiat. Unde si rem depositam sibi retineret, qui eam suscepit custodiendam, proprie, & specialiter contra fidem datam facere videretur.

At quia in alijs contractibus res datur ad aliquem vsum, non tam proprie, ac specialiter is qui rem accipit, & contra fidem facere videretur, si eam rem loco compensationis retineret. Item, qui rem depositam suscipit, eo ipso videtur eo pacto suscipere, vt eam loco compensationis, vel deductionis retinere non possit: nam constabit secundum leges, & iura: at iura negant in deposito compensationi locum esse: ergo sese obligat ei, qui deposuit, ne rem depositam loco compensationis ex toto, vel ex parte retinere possit, & leges, & iura reddunt eum inhabilem ad retinendum.

Quanto queritur, An aliquando is qui depositum suscipit, restitutionem in aliud tempus differre queat, etiam cum res deposita repositur ab eo, qui deposuit? Respondeo, in quadruplici euentu posse differre. Primo, quando certè, vel probabiliter sequitur damnum alicuius momenti, spirituale, vel temporale, & profanum timeretur, si redderetur depositum Domino repetenti, vt si restituatur arma deposita, homini insano, vel furioso. *cap. Ne quis, 22. quest. 2. S. Thom. 2. 2. quest. 62. art. 5. ad 1.* Quid si Dominus repositat pecuniam apud me depositam, vt eam male perdat, vel vt luxuriose viuat, vel ludat alea, vel alio quopiam ludo prohibito, vel denique si repetat ad rem sibi tantum noxiam, non alteri? Caiet. *in 2. 2. quest. 62. art. 5.* videtur inuere, tunc me secundum conscientiam non cogi ad reddendum; quia charitatis lege compellor vitare peccatum alterius, quando commodè possum. *Soc. lib. 4. de iust. quest. 7. art. 2. ad 1.* ait, me tunc etiam iura conscientia posse reddere, quia is, qui deposuit apud me, iure, quod solum est, exigit. At, repetit ad malum, inquis, ad quod ille ius non habet. Respondet Sorus, iure suo vi, cum repositit, quod solum est, & in hoc nullum peccatum admittit, ac ideo ego reddere debeo: quod si repetit deprauiato animo, & voluntate, vt videlicet mali aliquid solum sibi noxium perpetret, illi imputetur, non mihi, qui reddo repositenti Domino rem suam.

At enim Caietanus non intelligit generatim posse restitutionem rei depositæ differri, eam ad malum vsum Domino repositenti; sed duntaxat, cum repetit ad malum alteri noxium, & perniciosum; veluti si repositat pecuniam depositam, qua emat beneficia Ecclesiastica, iurata alia spiritualia; vel vt corrumpat iudicem, vel testem, vel bellum iniquum gerat, vel vt hostibus opem ferat, vel vt homicidium, vel adulterium admittat, aut eum etiam ob finem, vt veneno sibi mortem abumpat. Verum dubitet quis, an his etiam euentis, lege tantum charitatis, an vero iustitiae lege debeamus restitutionem depositi in longius tempus prorogare? Sunt qui dicant, priuatos homines, qui à priuatis itè hominibus depositum susceperunt, lege tantum charitatis compelli, depositum denegare repositenti Domino, cum ea lege teneantur ad consulendum alterius bono, & saluti. Verius mihi videtur aliquid lege iustitiae obligari, propter iniuriam, quæ fieri potest proximo. Hæc, vt dixi, locum habent, quando facile, & commodè sine vilo detrimento nostro possumus depositi restitutionem differre. Secundo, depositi restitutio iure differretur, quædo bona eius, qui deposuit, confiscata sunt. *l. Bona fides. ff. Depos.* quoniam auctoritate legis, ob crimea spoliatur quis bonis suis; ergo si quis postquam deposuit quid apud aliquem, crimea pertulit, ob quod bona eius publicantur, amisit ille ius iam suum depositum repetendi. Tertio, quando fur deposuit apud te pecuniam furto sublatam, si ipse deinde simul, & Dominus pecunia repetunt, debet Dominum furi præferre. *l. Bona fides. ff. Depos. il. l. Si totius rei æquitatem, j. & seqq.* Hoc frequenter accidit: ij enim, qui publica auctoritate sunt prolepti tamquam Patriæ hostes, & vulgo Banditi vocantur, multa hinc inde prædantur, quæ apud fidos aliquos amicos deponunt, & deinde ipsi, & Domini repositunt. Sed quid si fur prius, quam Dominus repetat depositum? *Sor. lib. 4. de iust. quest. 7. art. 2. concl. 4.* docet, fure siue ante, siue post, Dominum repositente, non illi, sed Domino, secundum conscientiam depositum esse reddendum. Atqui, dicit aliquis, *in d. l.*

Bona fides, vers. Latro. decernitur furi prius, quam Domino depositum esse restituendum. Ea lex sic est accipienda, vt furi prius repetenti res deposita reddatur, ad comparentem Dominum, vt colligitur ex ead. *l. Bona fides, vers. Quod si ego:* at repetente Domino, siue antea, siue postea sui repositat, depositum est secundum conscientiam Domino reddendum. *id. l. Bona fides, vers. Et hanc proba.* Quarto, depositum mortuo tenetur, quando illud traditum fuit ad custodiendum ei, qui cum illud susceperat, ignorabat rem esse suam, postea vero comperit esse suam rem, & ideo nullo iure compellitur eam reddere illi, qui deposuit. *l. Bona fides. ff. Depos.*

Quinto queritur, Quid sit dicendum, quando res apud aliquem deponitur, & deinde transit ad heredes ob mortem eius, cui est commissum, transiit ex parte ad vnumquemque, an vero quique illum in solidum tenetur? Vel, si depositis pecuniam apud Titum, & Titio mortuo, eam pecuniam per partes heredes accepterant? Respondeo, quodcumque res diuisa in partes ad heredes transferretur, quisque eorum tenetur ex parte, quam accepit. Quando vero res, vt pote indiuisa ad heredes communiter devenit, tunc omnes obligantur in solidum. *l. Si duo. ff. Depos.*

Sexto queritur, An qui rem seruandam alicui committit, habeat iure communi privilegium, vt ceteris creditoribus anteferatur? Respondeo, eos, qui deponunt apud aliquem rem suam, reliquis creditoribus antefari, qui tantum sunt chirographarij, præsertim si publico instrumento confectio apud numularios pecuniam deponunt. *l. Si hominem. §. Quoties. ff. Depos. Et l. Si ueriori. ff. de Præiudic. cred.*

Quenam actio ex Deposito oriatur.

CAPVT IX.

DVÆ actiones ratione depositi dantur in iure Ciuili, & ambae sunt personales, quia ex contractu deiciuntur, vna dicitur directa, altera contraria. Directa competit deponenti, & eius hæredibus aduersus eum, qui depositum susceperit, & eius hæredes, vt si dolose veritas sit in deposito custodiendo, aut si hæredes eius facti sint locupletiores: & hæc actio est ad restituendum rem integram deponenti. *l. i. §. Qui Depositi. ff. Depos.* Si hæres iudem nesciens rem penes testatorem depositam fuisse, alienauerit eam, nec possit eam redimere: agitur, vt rei depositæ pretium reddatur. *l. 2. §. ult. ff. Depos.* Præterea, si quis causa incendij, tumultus, tumæ, naufragij, vel metus, tem depositur apud aliquem, & is, qui eam susceperit depositam, denegauerit, agitur contra eum in duplum. *l. Quod tumultu. ff. Depos.* Ratio penæ huiusmodi est, quia nimirum tale depositum ex necessitate quadam committitur alicui seruandum: unde is qui deponit, non tam libere eligit custodem, quam is, qui rem suam sponte deponit. Contraria actio conuincit ei, qui depositum susceperit, & eius hæredibus aduersus deponentem, & hæredes illius: qua actione repetit impensas vtilis, & necessarias, si quas fecit in re depositæ. Compensationem iudem damni, si quod passus est ex deposito, vt si quis sciens deponeret seruum, qui fur esset, vel equum in calcitrosos, vel mordacem. *l. Actionem. ff. Depos. Et l. Et, apud quem. ff. eod. tit.*

Quæstionis est dubia, An leges, & iura ciuilia metuo actionem furti dederint aduersus eum, qui re deposita, citra Domini consensum vltus sit? Agellius *lib. 7. cap. 15. art. 15.* ait, scilicet uere nimis, Leges duodecim Tabularum actionem dediderunt tanquam in fures, in eos, qui vterentur re deposita, vel commodata, aliter quam in eum finem, ad quem data sit. La-beo, inquit, *in libro de duodecim Tabulis*, actio, & seuerata iudicia de furtis habita esse apud veteres, scripsit, si quæ Brutum solum dicere, furtum damnatum esse, qui iumentum aliorum duxerat, quam quo vteratum accepit. Item, qui longius prodixerat, quam quem in locum petierat. Itaque Q. Scruola *in librorum, quos de iure Ciuili composuit, sexdecimo*, verba hæc posuit: Quod cui seruandum datum

est, si

est, si ad vsum est, siue quod vtendum accepit ad aliam rem atque accepit, vsum est, furti se obligauit.

Item Valerius Maximus *lib. 8. cap. 2.* hunc in modum scribit: [Multus sermo de eo etiam iudicio manauit, in quo quidam furti damnatus est, quod equo, cuius illi vsum vsque Arintam commodatus fuerat, vltiore eius municipij cliuo vectus esset. Quid aliud hoc loco, quam verecundiam illius seculi laudemus? tam minuti à pudore excessus puniebantur.] Hæc illi Auctores. Quapropter Ioannes Faber. *l. 1. c. de Pignor. act. censet*, actionem furti minime locum habere. Si commodatus, inquit, aut creditor, aut depositarius vtatur re commodata, pignore, vel deposito, ad eum vsum, cui proprie res ipsa destinatur, & ad quem Dominus ipse his rebus uti solebat. Sed certe negari non potest, leges, & iura aliquando gratiori pœna punire minora delicta, quam maiora: eo quod illa frequentiora, & crebriora sint hominibus. Quocirca fures suspendi solent, & veteri lege Diuina iubebatur, qui furabatur ouem, plus restituere, quam qui bouem furtaretur: eo nempe, quod facilius homines furtarentur oues, & difficilius custodirentur. Quare, quia commodato, deposito, vel pignore facile abutuntur ij, quibus traduntur, alio videlicet vsum, quam quo vendita susceperint: ideo veteres Romani non inconsulte in eos furti actionem dandam esse voluerunt.

DE PRECARIO.



INTER eos contractus, in quib. obligatio rei traditione perficitur, quantum locum obtinet Precarium, vt superius dixi.

Extat in iure Ciuili titulus ordine 25. *de Precario*, lib. 43. Digestorum, & in Codice lib. 8. tit. 9. & in iure Canonico est etiam titulus 16. lib. 3. Decretalium, *de Precarijs*. Et quamuis Precarium non sit idem contractus, qui Precaria, vel Precariæ: nihilominus tamen Canonici iuris interpretes de Precario tractant in *capite Precarium, de Precarijs*. Agit de Precario Couarruias *lib. 3. Variarum resolutionum, cap. 15.* Iason in *Institut. de Actionibus, num. 18. & sequentibus*.

Vnde dicatur, & quid sit precarium.

CAPVT I.



PRISCONSULTVS in *l. 1. ff. de Precario*, etymologiam, & definitionem Precarij hanc ponit: [Precarium, inquit, est, quod precibus petenti vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur. Vnde genus est liberalitatis ex iure gentium descendens, & distat à donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: qui vero precario concedit, sic dat, quasi recepturus, quod dedit, cum sibi libuerit precarium solui.] Sic ille. Vnde Latini Scriptores, precarium im-

perium, & precarium imperatoiem, vocarunt datum, & permillum; quando is qui dedit, voluerit.

Primo quaeritur, Quo differat precarium à Commodato? Respondeo cum Glossa, & Panormitano, & cæteris Canonici iuris explanatoribus in *cap. 1. de Commodato, & cap. Precarium*, in multis differre.

Primo, commodatum datur ad certum vsum, & ad certum tempus expressum, vel tacitum, vt inferius explicabo. Vnde, qui dedit, nequit repetere ante illum vsum, & tempus præfixum: at precarium non datur ad certum vsum, tamen aliquando ad certum tempus conceditur, sed donec intra illud tempus voluerit, qui dedit: vel si datur ad certum vsum, is tamen vsum, nec expresse, vel tacite certum tempus requirit, vt deinde clarius apparebit. Sed dices, librum commodati ad transcribendum, qui tamen vsum certum tempus non postulat: rursus liber precario datur ad studendum, qui vsum est certus, & determinatus. Respondeo cum Panormitano in *cap. Precarium, de Precarijs*, Commodatum dari ad tempus, quod expresse, vel tacite est certum, & definitum, quia datur ad certum vsum, qui certum vitæ tempus requirit, vt cum commodatur liber ad transcribendum. Precarium vero, quamuis interdum datur ad certum vsum, is tamen vsum certum tempus non habet, vt cum liber datur ad studendum, non commodatur, sed precario conceditur: quia studere quis potest per totam vitæ cursum. Hinc est, vt precarium reuocari, vel repeti possit ante vsum, commodatum non item; quia precarium tamdiu retineri potest ad vsum accipientis, quamdiu placuerit ei, qui dedit: ergo liberantis voluntate precarium repositur. *l. 2. ff. de Precario, & cap. ult. de Precarijs*.

Secundo quaeritur, Qui possint precario dare, & accipere? Respondeo, omnes, qui contrahere queunt; quia precarium est contractus. Vnde necesse est, vt sint rationis capaces, ac, vt iura loqui consueuerit, doli capaces; quia absque contrahentium consensu, minime contractus subsistit. Quare sicut filij familias, & serui commodare, & commodatum accipere possunt eo modo, quo superius exposui; sic & precarium dare, & accipere queunt. *Hoc patet ex l. Si Seruus. ff. de Precario*.

Tertio quaeritur, Quam res precario dari queant? Respondeo, precarium consistere in ijs rebus, in quibus commodatum, in rebus nempe immobilibus, mouentibus, & se mouentibus, & in his, quæ in iure consistunt, cum finodi sunt seruitutes prædiorum vrbanoium, siue rusticorum. Hostien. in *Summa tit. de Precarijs. ff. In quibus*, & Gloss. in *cap. ult. de Precar. Vnde in l. aut Prator. vers. Habere*, sic est: [Habere precarium videtur, qui possessionem corporis, vel iuris adeptus est:] & in *l. Veluti. ff. eod. tit.* subiungitur: [Veluti si me precario rogaueris, vt per fundi meum ire, vel agere tibi liceat, vel, vt in rectu, vel in aream ædium mearum stillicidium, vel tignum in parietem immissum habeas.] Et in *l. Et habere. ff. eod. tit.* [Precario habere etiam ea, quæ in iure consistunt, possumus, vt immilla, vel proiecta.] in *l. Robus. ff. eod. tit.* [In rebus etiam mobilibus, precarij rogatio consistit.]

Quæres, An quis rem suam aliquando precario habeat? Respondeo, in *l. Certo. ff. de Precar.* sic esse scriptum: [Quæsitum est: Si quis rem suam pignori dederit, & precario rogauerit, an hoc interdictum locum habeat? Quæsitio in eo est, vt consistere precarium rei suæ possit. Mihi videtur verius, precarium consistere in pignore, cum possessionis rogetur, non proprietatis. Et hæc est sententia etiam vtilissima: quotidie enim precario rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt, & debet consistere precarium.] Ita lex. Alioqui generatim habetur in *l. Neq. pignus. ff. de Reg. iuris*.

[Neque pignus, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio suæ rei consistere potest.]